



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Imitatione Christi

Thomas <von Kempen>

Antverpiae, 1607

De humili submissione. 2

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48701)

Rom. 8. 8 Si rectè tibi esset, & benè purgatus
esses, omnia tibi in bonum cederent, &
profectum. Ideò multa tibi displicent,
& sæpè conturbant: quia adhuc non es
perfectè tibi ipsi mortuus, nec segrega-
tus ab omnibus terrenis. Nil sic macu-
lat & implicat cor hominis, sicut im-
purus amor in creaturis. Si renuis con-
solari exteriùs, poteris speculari cæle-
stia, & frequenter iubilare interiùs.

CAP. II.

De humili submissione.

Rom. 8. 1 **N**ON magni pendas, quis pro te,
1. vel contra te sit: de hoc age &
Cor. 4. cura, vt Deus tecū sit in omni re, quam
Psal. 27 facis. Habeas conscientiam bonam, &
Deus benè te defensabit. Quem enim
Deus adiuuare voluerit, nullius per-
uersitas nocere poterit. Si tu scis tacere
& pati, videbis proculdubiò auxilium
Domini. Ipse nouit tempus & modum
liberandi te, & ideò te debes illi resi-
gnare. Dei est adiuuare, & ab omni cō-
fusione liberare. Sæpè valde prodest,
ad maiorem humilitatem seruandam,
quòd defectus nostros alij sciunt, &
redarguunt.

2 Quan-

2 Quando homo pro defectibus suis se humiliat, tunc facilliter alios placat, & leuiter satisfacit sibi irascentibus. Humilem Deus protegit, & liberat: humilem diligit, & consolatur: humili homini se inclinat: humili largitur gratiam magnam, & post eius depressionem, leuat ad gloriam. Humili sua secreta reuelat, & ad se dulciter trahit & inuitat. Humilis accepta confusione, satis benè est in pace: quia stat in Deo, & non in mundo. Non reputes te aliquid profecisse, nisi omnibus inferiorem te esse sentias.

CAP. III.

De bono pacifico homine.

1 **T**ENE te primò in pace, & tunc poteris alios pacificare. Homo pacificus magis prodest, quàm benè doctus. Homo passionatus, etiam bonum in malum trahit, & facilliter malum credit. Bonus pacificus homo, omnia ad bonum conuertit. Qui benè in pace est, de nullo suspicatur. Qui autem malè contentus est & commotus, variis suspicionibus agitur:

nec